



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

VII. Vt clerici vel laici in ecclesia aliena non communicent sine literis sui
episcopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
 CHRISTI
 348.

tamen aliqua ex eis propter blasphemias suggerenda sunt a nobis, & in Concilio statuenda. Si videtur vobis, pari sententia teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur, & nulla secum germanitate coniuncti sunt. Vniuersi dixerunt: Iuxta viduos & viduas eadem lex maneat, & sententia.

V.

Priuatus episcopus Vegeselianus dixit: Suggesto sanctitati vestrae, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine literis episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est. Gratus episcopus dixit: Haec obseruantia pacem custodit. Nam ^{Cap. 16. 18. 19.} & memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, & per consensum habeat.

VI.

Necadius episcopus Culusitanus dixit: Credo ^{21. q. 3. Credo.} placere suggestionem meam sanctitati vestrae, & displicere vobis, ut qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, * non accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus episcopus dixit: Et apostolorum statuta sunt, quae dicunt: *Nemo militans Deo, ingerit se negotiis saecularibus.* Proinde ^{2. Tim. 2.} aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Vniuersi dixerunt: Hoc obseruemus.

*concurrant ad actiones in Can.

VII.

Casianus Vfulensis episcopus dixit: Statuat gratia
Concil. Tom. 3.

o

uitas vestra, vt vnusquisque clericus vel laicus non communicet in aliena plebe, sine literis episcopi sui. Gratus episcopus dixit: Nisi hoc obseruatum fuerit, communio fiet ^{* for. pac. sim.} passiuā. Nam si cum literis ^{ANNO CHRISTI 348.} receptus fuerit, & concordia inter episcopos seruetur, & nemo subtilis, alterius fugiens communionem, ad alterum latenter accedit. Vniuersi dixerunt: Omnibus prouides, & clero & laicis consulis.

VIII.

distin. 54.
Magnus e-
piscopus.

Magnus episcopus Astyagensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur? Procuratores, ^{* actores, tutores etiam & executores seu curatores.} & actores, etiam per se tutores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit: Si post deposita vniuersa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint probati in omnibus, debent & cum laude, cleri (si postulati fuerint) honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum, ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ecclesia infamatur. Vniuersi dixerunt: Recte omnia statuit sanctitas tua. Ideoque ita est & nostra ista quoque sententia.

IX.

Metus Caunensis episcopus dixit: Recte statutum est, vt obnoxii alienis negotiis non ordinentur. Tamen dimissi, & gratias referre debent, & a clericorum iniuria temperare. Et ipsis non liceat, clericos nostros eligere apothecarios, vel ratiocinatores. Gratus episcopus dixit: Nulli dubium est, quod omnes vel domini, vel procuratores, vel quicumque præfunt, cum audierunt saluberrima instituta Concilii, & sibi esse consultum, nec impedi-